

**Disputatio inauguralis quaedam de febre flava complectens / [Thomas Harris Maddox].**

**Contributors**

Maddox, Thomas Harris.

**Publication/Creation**

Edinburgh : [publisher not identified], [1816]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/v2naeg2y>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

5  
DISPUTATIO INAUGURALIS

QUÆDAM DE

FEBRE FLAVA

COMPLECTENS.

---

AUCTORE THOMA HARRIS MADDOX.

---

---

PRÆFANDA.

NULLA fere omnium febrium, quæ genus humanum plectere solent, strage diriore sævit, quam ista luctuosissima, incolis Indiæ Occidentalis infesta, quæ Febris Flava apud medicos vocatur. De nullo argumento ad rem machaoniam pertinente, plures aut clariores auctores disputarunt. Lugendum est tamen parum eos adhuc consensisse; aliosque aliud

A



[1816]

de hujus febris ortu, de signorum ratione, et idonea curatione sentire. Non nisi igitur viribus diffusus pauca de ea conscribere statui; nec tantum opus aggredior, ut omnia huc attingentia inquirere et exponere coner. In animo est, non nisi ejus causas et naturam explorare, et aliis quibusdam propositi partibus insistere, quæ controversiam moverunt: non equidem spe novæ lucis afferendæ inductus, hanc rem aggredior; sed iis, quæ ex utraque parte dicantur, propositis, et optimis auctoribus, auspiciibus, innixus, utrius sit verum, ostendere nitar. Eoque potius huc animus me impulit, quod, annuentibus Parcis, meum erit in India Occidentali medicinam facere; necdum inter omnes medicos, vel peritiores, de argumento, quod sum prosecuturus, convenit.

Ita vero rem distribuere placuit, ut prius ortum et naturam Febris Flavæ inquiram; iisque, quæ alii atque alii sentiant, et edoceant, invicem collatis, verum, si quid possim, dedu-

cam : dein pauca de ejus quibusdam signis,  
quæ ingenia scriptorum torserint, disseram.  
Hæcce præfatus, ad opus illico accedo.

## DE FEBRIS FLAVÆ

### DE FEBRIS FLAVÆ ORTU ET NATURA.

QUANQUAM auctores plurimi amplissime de febre proposita scripserunt, duplicem præsertim opinionem de ejus ortu et natura, libros eorum pene omnes evolventi invenire licebit. Nonnulli scilicet eam pestilentem existimant; id est, aura maligna febris genetrice, corporibus ipsorum ægrotantium oriunda, per populum dispergi. Alii contra pestilentem eam negant; et hanc febrem contendunt, intermittens cujusvis instar, halitu nocivo paludibus aut naturis putribus enato, auxiliantibus sane aliis noxis, pariri.

Multi, nec parvi nominis, illam amplexi sunt sententiam. Ex iis princeps est habendus Rushius perceleber. Hic medicus, cujusingenium et labores tanta luce rem medicam or-

## ORTU ET NATURA.

narunt et excoluerunt, apud librum de hac febre anno MDCCXCIV<sup>to</sup> editum, eam viro pestilente genitam arguit. Postea autem, anno MDCCXCVIII<sup>o</sup>, inanem eum opinionem fefellisse confessus est.

Neque non viri clarissimi febrem flavam auris paludum malignis tribuerunt: quos interpretæ prælucent Pringelius, Hunterus, Lindius, Clarkius, Gillespeius, Lemprierus, et Bancroftius. Hos recte judicasse ostendere conabor, pluribus exemplis et rationibus innixus, quæ ex utraque parte proposita sunt.

Aura ista lethalis, quam medici ‘contagium’ appellant, venenum est subtile corpore ægrotantis genitum, quodque cutis aut pulmo aut uterque spirat. Hujus est porro sano homini propinquo admoti eodem morbo eundem inficere: qui pari ratione mille aliis eam pestem inferre potest; idque, sub omni loci cœlique ratione. Quicumque sit morbus, de quo id prædicari non licet, is pestilens non est.

Febrem flavam ab anno MDCCLXXXIV<sup>to</sup> usque ad hodierna tempora latius quam olim sæviisse et diriore strage Antillas, cæterasque Americæ partes populatam esse, res est notissima. Non equidem quod auctores summa fide dignandi non satis edocuerint hanc febrem prius Indiam Occidentalem vastare solitam esse, et nulla fere anni tempestate eidem penitus deesse. Quod si pestilens esset, non video, cur nunc quam olim latius pateat; auræ enim pestilentis est undique spargi, volitare et diffundi. Hinc igitur suspicari oportet, cœli aut loci aut utriusque rationem mutatam vires novas huic febri incussisse.

Quoties eadem alicui ex insulis subest, nunquam fere per eam totam dispergitur, at oppidis, vicis, angustiis, locis palustribus, et stagnis pene unicus inhæret. Quod si in animo habeatur, commercium esse creberrimum portibus et oppidis cum rure et locis Mediterraneis, virusque pestilens alite penna circum

volare, febrem propositam non hinc enasci constat.

Neque eo judicandum, hanc febrem esse pestilentem, quod plures simul ea corripiuntur; ut enim multi halitui nocivo paludibus exorto subjecti simul omnes in febrem intermittentem incidere possunt, ita si causa huic similis febrem flavam progignit, complures in uno loco habitantes ea ægrotent, necesse est.

Permuli auctores jam relata comprobarunt. Rushius negat in populum disseminari hanc febrem, quoties febrientes rus Jove sicco et sereno beatum adeunt, relictis locis gravibus, ubi nata fuerat. Chisholmius idem de hac febre in Grenada sæviente profitetur, etsi eandem malignam et pestilentem nominat.

Pauca exempla eodem pertinentia citabo. Mense Julio, anno MDCCCXII<sup>mo</sup> quidam cum uxore et natis, Londinio, ubi diu vixerant, relicto, se ad Indiam Occidentalem recepit. Simul atque huc pervenerit, prædium suum,



paludi pestiferæ vicinum, locumque perquam insalubrem, frequenter visere solebat; idque mense Augusto. Quodam die ibi negotiis occupatus non, uti solitus erat, ad oppidum rediit; at pernoctavit. Postridie domum reversus est, et triduo post febre flava ægrotavit. Arte nil valente, succubuit; nati autem conjux et familiares integri perstiterunt. Huc accedere licet, quod omnes fere infelices, quorum est huic fundo præesse, cito ista febre correpti absumuntur, quum jam advenerint.

Mense Julio, anno MDCCCXII<sup>mo</sup>, navis quædam ad Insulam Montserrat advenit. Quatuor nautæ, ea relicta, littora, ad aquam adipiscendam, petierunt. Fons, unde aquam quæsitam hauserunt, paludi ante dictæ propinquus est. Ibi diutius æquo commorati demum ad navem reverterunt. Biduo exacto, tres ex iis febre flava ægrotarunt; et tandem reliquus. Illi emortui sunt; omnes autem eorum socii navales salvi perstiterunt.

Insula, quam prosequor, saluberrima est omnium, quas India Occidentalis complectitur; et minime omnium febrī flavæ patet. Eidem porro desunt paludes, ea, quam retuli, excepta. Si igitur pestilens sit hæc febris, latet ratio rei jam memoratæ: quod si eadem causa fere ejus, quæ febris intermittens, sit genetrix, nulla difficultate opprimimur.

Neque mihi ipsi non contigit exempla multa testari, unde hanc febrem non pestilentem habendam existimo. Satius autem et tutius et verecundiæ idoneæ esse duxi, adhuc juvenis, alienis opibus, non propriis uti.

Dignum est notatu febrem flavam plerosque inter dormiendum aggredi. Quod etsi verum sit, non inde statuendum, quod hallucinatus est Rushius, pestilentem esse. Hic auctor equidem scribit, rem ita se habere, eo quod vires motrices dormienti solvuntur: ideoque contagium, quippe quod potestati sedatrici habendum sit, facilius somno obrutum lædere.

Cujus in sententiam jurare nequeo. Sopiuntur equidem dormiendo vires animi: genus autem nervosum, cor et arteriæ nequaquam quiete infirmantur: potius conjicio vim cerebri noctu insignem esse; eo quod, corpore supino, sanguis cursu faciliori huc defertur. Neque viro ingenioso Ingenhouz assentior; qui contendit noctu potissimum accedere hanc febrem, quod plantæ, tunc aëra nocivum, scilicet *gas nitrogenium* aut *acidum carbonicum* spirant. Hoc enim incertum et obscurum est. Veri est similis non somnum, sed noctem febris flavæ favere, quia aër frigore nocturno densatur; ideoque aura pestifera, postea memoranda ejus febris genetrix, qua cœlum inquinatur, saturior noctu corpori admovetur.

Lindius, Blanius, et Gillespeius affirmant, quibus multi alii consentiunt, navigantes multo rarius, quam insulas ipsas accolentes, hac febre plecti. Unde non solum eandem non pestilentem, sed etiam non Jove madido, quod Fordycio videtur, prognatam esse, constat.

Diu et acriter medici disputarunt, febris ista maligna, quæ Grenadam anno MDCCCXCIII populata est, ibi primo nata sit, an tabe pestilente illuc ab insula Bulama per navem HANKEY advecto, provenerit. Has lites, ni fallor, Bancroftius penitus composuit: qui tam luculenter edocuit eam febrem Grenadensem domi accensam esse, non foris, nec pestilentem grassari, ut sermonem producere omnino supervacuum esset.

Stewartus et Chisholmius, qui febrem Grenadensem contagio gigni et ali credunt, eandem, quoties rure degentes adoritur, non pestilentem fatentur; cum vero urbanos oppidum Sancti Georgii accolentes invadit, contagem exitiosissimam sibi prætulisse. Hæc autem difficultas, qua illi medici opprimuntur, penitus deletur, si abjecta eorum sententia, in animo habeatur, oppidum jam relatam agro paludoso et gravi esse conterminum; loca autem, ubi

confessi sunt Stewartus et Chisholmius eam febrem pestilentia caruisse, sicco, sereno et saluberrimo aëre donata esse.

Quinetiam, Linningius, medicus spectatissimus, testatur, eos, qui jam in oppido Sancti Georgii habitantes semina hujus febris acceperint, et rus reduces febricitare cœperint, non familiares et vicinos eadem infecisse: idem porro in insula Dominica accidisse: cui contigit eadem omnino febris, quæ Grenadæ, ipso Chisholmio teste.

Medicus eximius, Jacobus Clarkius se idem usu didicisse proponit; febrientes nimirum in locum cœlo puriore et sicciore beatum tractos, esti succubuerint, non sua mala cum vicinis communicasse.<sup>1</sup>

Notatu dignum est rationem illam pestilentiae delendæ, qua nituntur hodierni, non raro

---

<sup>1</sup> Vide Clarke on Yellow Fever, p. 64.

fuisse prætermisam, vel in iis locis saluberibus, ubi hæc febris non per vulgus dispergi videretur. Conclavia scilicet non semper perflatu expurgata sunt; nec semper lota et novata toralia et vestes ægrotantium. Hæc et alia eodem pertinentia non nisi, aliquo febre absumpto, servari solita sunt. Cur igitur, si verum sit febrem flavam contagio, quam ipsa parit, per populum diffundi, non vulgaris extitit, quoties ejus semina pestifera nec perflatu, nec munditie nec aliis ejusmodi adhibitis, delerentur.

Chisholmius alique medici ejusdem partis audacter affirmant, febrem flavam, quæ anno MDCCXCIII<sup>to</sup> Philadelphię exarsit, et tot millia enecuit, contagio huc ab India Occidentali translata, oriundam fuisse; et eandem esse febrem malignam, quam navis HANKEY prius dicta ad Grenadam, ut aiunt, detulerat. Chisholmius idem de ea nave scribens, notat quendam Paiba, hujus uxorem et servos, qui eam conscenderunt, integros febris eo perstitisse,

quod mercibus contage infectis non interfuis-  
sent. De qua re non opus est, ut fuse disseram :  
quippe quam satis superque Bancroftius<sup>1</sup> in-  
quisivit.

Sæviente hac febre Philadelphix, anno  
MDCCXCIII<sup>to</sup>, valetudinarium febrientibus unicis  
accipiendis accommodatum apud *Bushy Hill*  
instituebatur, qui locus non multum Philadel-  
phiæ distat. Simul atque febris conquieverat,  
hyeme scilicet ineunte, quod fieri solet ; stra-  
gula, toralia, vestes, et alia, quibus ægri usi  
fuerant, non prius lota, nec perflatu, fumis  
acidis, aut aliunde expurgata, venum ibant, ut  
nummus inde expetitus militibus et nautis Gal-  
licis auxilio esset. Nemo autem omnium, qui  
sibi ista induerint, aut iisdem interfuerint, fe-  
bricitare compertus est.<sup>2</sup> Unde constat non

---

<sup>1</sup> Vide Bancroft on Yellow Fever.

<sup>2</sup> Vide Dr Valentine's *Traité de la Fievre*. Saune, p. 92.

audiendum esse Chisholmium; nec ullam contagem eam navem HANKEY toties dictam traduxisse.

Medicus ille clarus Joannes Hunterus notat oppidum Sancti Georgii Grenadense planitiem esse, parum mari supereminere, et paludi amplæ conterminum. Contra Insula Bulama cœlo longe sicciori donatur, et minus locis palustribus scatet. Huic porro contingit temperies, quam gradus LXXXIII<sup>tius</sup> aut LXXXV<sup>tuus</sup> instrumenti Farenheitani fere indicat; illi vero ardor summus, qualem insignit gradus LXXXVIII<sup>vus</sup> aut xciv<sup>tus</sup>. Hinc multo est verisimilius febrem Grenadensem domi, in sui ipsius penetralibus genitam esse, quam ab Insula Bulama per navem relatam traductam esse.

Clarkius De febre flava Dominicam populante agens eam aut pestilentem aut aliunde huc advectam esse, negat: complures proponit rure, sub Jove sicco et sereno, vivere solitos, si qua de causa oppidum viserint, auris malis



inquinatum, rus jam reduces febricitasse; at nunquam suis febrem intulisse.

Blanius multa memoria dignissima protulit. Testatur naves bellicas multos persæpe annos maria Indiæ Occidentalis exarare solitas esse, ne uno quidem nautarum in febrem flavam incidente: si quando autem aliqui ex iis, nave relictâ, ad littora mittantur, præcipueque ad locum paludosum, humilem et gravem, quo aquam aliaque victui necessaria expetant; et si ibi pernoctent, ad navem reversos ista febre ægrotare; quæ tamen nunquam ad reliquos sodales spargitur.

Lindius meminit, sibi et plerisque medicorum, qui apud Jamaicam in artem apollinarem incumbunt, videri, febrem flavam, qualis eam insulam accolentibus contingit, neque contagio ordini et ali, neque ab exteris regionibus deductam esse; sed locorum propriam, ratione cœli, soli, et aliis ejusmodi progigni.

Hillarius nos certiores fecit sibi aliisque

plurimis semper contigisse febrem flavam, notis quæ morbum pestilentem arguunt omnino expertem, observare.

Joannes Hunterus, medicus, quem supra retuli, meminit, quoties valetudinaria hac febre implicitis referrentur, eandem nunquam vulgarem grassatam esse: imo vero, ne quidem unicum sanorum, aliisque morbis ægrotantium, qui istis febrientibus interfuerint, in eam incidisse.

Si quando autem febris flava contagio sui propria per valetudinaria dispergi visa fuerit, noxa longe aliena et satis habilis inquirentibus patuit; agri nempe palustres contermini sunt. Quo perspecto, non mirandum, quod plerique eorum, qui ista valetudinaria subeant, febre proposita plectantur. Humius exemplum hujusmodi edidit.

Lindius et Trotterus multa referunt eodem pertinentia: unde hæc deducere licet; scilicet, ubi naves, quæ Guineam Africanam petunt,

ad insulam Sancti Thomæ perveniunt, nautas, qui huc ad aquam aliasque copias exquirendas missi non cito ad naves redeant, febricitare : sociis omnibus, qui non has reliquerint, incolumibus futuris. Dicksonus et multi alii, quos citare non opus est, idem, quod auctores supra comprehensi, de hac febre sentiunt.

Proximum est, ut pauca disputem de febre flava, qualis in America Septentrionali prodiit : unde, ni fallor, idem deducere licebit ; eam nimirum ubique terrarum contagio carere, et aura putri, quam paludes, stagna aliaque istiusmodi spirant, operam æstu conferente, exoriri.

Febris flava apud Baltimore exarsit anno MDCCXCIII<sup>ti</sup>o et complures enecuit. Davidgius, medicus summa fide dignandus anno MDCCXVIII<sup>vo</sup> librum de ea edidit : et notat hanc febrem eas præcipue partes urbis relatæ invasisse, quæ stagnis et paludibus vicinis maxime inquinantur : negat febrem pro-

positam in populum spargi, si ea ægroti, locis gravibus relictis, novas sedes cœlo puriori beatas petunt; denique contendit eandem feбри intermittenti et remittenti affinem esse.

Anno MDCCCIX<sup>oo</sup>, ipse hospes Annapoli Americana aliquamdiu commoratus, quædam cognovi huc attinentia, haud, ut opinor, memoratu indigna. Iis temporibus febris flava urbem Baltimore vastabat: et multi, qui inde profecti Annapolim venerunt, paulo postea febricitarunt. Nemo autem Annapolitæ eadem ægrotavit.

Febris, quæ anno MDCCXCIII<sup>tio</sup> urbem Baltimore populata est, potissimum duabus ejus partibus, nempe "Fell's point" et "Bowley's Wharf," inhæsit. De quibus locis Drysdalius scribit omnes domos ibi sitas stagnis pessime olentibus turpari, tam exitiosis, ut auræ putres inde prognatæ vel muscas, aliaque

insecta enecuerint ; nec alium hujus diræ febris fontem reperire potuit.

Denique, medici spectatissimi, causis febris Baltimorianæ inquisitis, literas <sup>1</sup> ad Prætorem urbanum scripserunt, unde hæc deducere licet : eam nec viro pestilente progigni, nec ab extera quavis regione venisse : sed domi alitam et fotam esse, genetrice aura pestifera sentinis, stagnis, paludibus, aliisque ejusmodi sata.

Nec multo postea pestis, quam prosequor, Philadelphiæ erupit luctuosissima. Nemo eorum, qui contagem ejus parentem contenderint, aut unde aut quomodo huc pervenerit, exponere audebat. Perpaucis equidem placuit eam Novi Eboraci orsam, inde Philadelphiam attigisse, aut febrientibus huc illinc advectis, aut mercibus viro pestilente pollutis, aut Euro idem transferente. Qui plane non audiendi sunt : extitit enim Philadelphiæ

---

<sup>1</sup> Vide Philad. Med. Mus. P. 364.

biduo post quam Novi Eboraci prodierat; quæ urbes invicem amplius trecenta millia passuum distant. Vix igitur credendum tam celeriter patuisse contagem. Quod si verum esset, eandem traductam fuisse, cur urbes oppidaque interjecta, scilicet Newark, Brunswick, aliaque integra hujus febris perstiterunt.

Rushius febrem flavam per populum diffundi opinatur, ope halitus maligni naturis putribus exorti, et aëra circumvolantis: hæ vero causæ eum, qui ita sentiat, impulerunt.

I. Hæc febris, quoties insulas Indiæ Occidentalis afflixerit, non contagem sui propria disseminatur.

II. Ubi oppida et urbes infestat, quantum usu compertum fuerit, nulla aura corporibus febrientium provenit, ei concitandæ habilis.

III. Si quando urbani hac febre plexi rus advehantur, haud unquam eam cum familiaribus et vicinis communicant.

IV. Si febrientes in Valetudinaria, quæ

paludibus, stagnis aliisque aurarum putrium fomitibus distant, accipiantur, febris nunquam dispergi cognita est.

Quinetiam, hanc pestem semper et ubique Jove halitu corrupto vitiato Rushius hinc judicat.

A. Quod in regionibus æstu exustis, iisque anni tempestatibus, quibus ardet cœlum, operam simul conferentibus herbis et carnibus putrescentibus, potissimum hæc febris grassatur.

B. Ubicunque aër purior, siccus, serenus nec paludibus vicinis, nec stagnis, nec sentinis, nec cloacis aliisque istiusmodi noxis turpatur, ibi febris flava desideratur.

C. Imbres diuturni et graves et atrox pruina, uti febres intermittentes et remittentes, ita quoque propositam delere et extinguere solent.

Proximum est, ut pauca disputem de hac febre, qualem se exhibuit, Novi Eboraci

civibus infesta. Hæc urbs, haud secus atque Philadelphia, multiplicem sibi præfert gravium aurarum fontem. Pestis, quam prosequor eam partem Novi Eboraci primam omnium vastare cœpit, quæ navalibus nondum penitus extractis occupatur. Hæc vero plures annos sordes omnigenas acceperant ; nec procul aberant sentinæ, cloacæ, pessimaque spurcities.

Huc accedit, quod Novum Eboracum olim palustre nequaquam adhuc arte humana penitus desiccatum fuit. Unde satis in aprico est, non ei deesse noxas halitus mali et pestiferi genetrices.

Quidam delegati a societate medica Novi Eboraci florente, ad inquirendum febris flavæ ortum, quæ anno MDCCXCVIII<sup>vo</sup>, re subtiliter explorata, judicium ante relatum confirmarunt ; nimirum, eam non pestilentem, non ab exteris terris provenisse ; sed in ipsis penetralibus urbis natam esse.



Dignum est notatu, ubi hæc febris Novum Eboracum invaderet, non minus triginta et unam plateas numeratas esse; quarum unicuique non nisi unus febricitaverit: porro, etsi sexcenti febre plecterentur urbanorum, non amplius triginta et sex domos fuisse, quarum singulæ plusquam unum febrientem intus haberent: plerosque ægroantium non prius aliis febre captis interfuisse: quam plurimos denique incolumes et impune ad ægros accessisse, et opem tulisse.

Quum anno MDCCCIII<sup>to</sup>, febre Novi Eboraci iterum exardente, complures ex incolis huic urbi se subduxerint, et simul atque oppida et agros vicina et salubria attigerint, in febrem flavam inciderint, nemo omnino e medicis, servis, aliisque ministrantibus non salvus esse perstitit.

Febrem flavam non contagio disseminari hinc, ni fallor, clarissime patet; quod febres aliæ plane pestilentes Valetudinariis Novi

Eboraci et Baltimore, et Philadelphiæ, febre, de qua agimus, urgente, deessent.

Hucusque absoluto proposito, sequitur, ut brevi et lucido sermone, si quid possem, omnia documenta proferrem, unde febris flava non uti pestilentia serpere, sed jove paludibus et stagnis impuro, operam equidem conferentibus ardore meridiano et frigore nocturno, Indiæ Occidentalis propriis gigni videatur.

I. Quæcunque adhuc de viro pestilente, quod febres parere solet, innotuerunt, satis, ut opinor, edocent idem potestatem esse sedatricem, cerebrum, nervos et omnes fibras motrices oppressuram. Quo fit, ut febres contage oriundæ sæpius et facilius imbecillos et graciles, quam vegetos et plenos corripiant. Febris autem flavæ est, præ cæteris Britannum, aut Europa Septentrionali natum, irritabilem, sanguine plenum, viribus et juvena florentem, adoriri, simul atque ad Indiam

Occidentalem pervenerit : quantoque aliquis sit speciosior, validior, eoque magis si nondum terræ soli nimium propinquæ suetus fuerit ; tanto is opportunior est, qui hac febre plecteretur.

II. Vires animi et corporis insigniter dilabi consuerunt febre pestilente laboranti ; adeo ut sanguinem, vena percussa, mittere fere sit hominem jugulare. Huic contra febri jam ineunti in tantum concitantur cor, arteriæ et cerebrum, ut venas exinanire et materiam omnibus modis demere opussit.

III. Febris, quam prosequor, eas præsertim gentes aggreditur, quas sole torrido exustas solstitiorum circuli complectuntur : certeve non nisi terris æstuosis contingit ; quæ vicissim meridianis ardoribus et algore roribusque nocturnis patent ; et simul agris palustribus et humilibus, stagnisque polluuntur. Res vero est notissima torridum Indiarum solem contagem fere omnigenam ex-

tenuare et infirmare. *Pestis, Typhus, Rubeola, Variola*, aliique morbi consimiles, hujus rei exemplis sint luculentis: quippe qui graviores, magis luctuosi, et frequentius lethales, terras Septentrionales quam Americam et Indiam Occidentalem accolentibus accidunt.

IV. Mirabile est dictu, quam alite penna circumvolat contages, plures populos et regiones celeriter aggressura. Exemplo sit *Catarrhus* pestilens, cui nomen *Influenza*, quam citissime et latissime dispergi solita. PESTIS illa, nimis eheu! celebris Atheniensibus tam infesta, de qua scripsit Thucidides, ab Ægypto orta, dein Syriam, totam Asiamque Minorem afflixit, demum urbem ipsam Palladis invasura. Quod de Febre flava nequaquam prædicari potest. Hæc enim nunquam ab extera quavis regione provenit; sed ubicunque prodit, ibi nascitur; nec ad loca vicina serpere apparet, dummodo hisce contingat Jupiter siccus, purus et serenus,

deficiantque agri paludosi, stagna, et quæ sunt hujusmodi. Pari ratione, naves bellicæ annos complures oceanum Indiæ Occidentalis exarare solent, integerrimis valetudinem nautis; nisi aliqui ad littora mittantur, qui interdum soli torrenti et auris malis æstu in sublime latis objecti; dein tota nocte easdem frigore densatas et saturiores passuri, navibus repetitis, febricitant; at non socios, qui naves non reliquerint, suis malis inficere comperti sunt.

V. Febris flava non raro aut ab initio speciem febris remittentis sibi præfert; aut certe tandem eam induit. Unde judicare licet, naturam et causas utriusque inter se similes esse et affines.

VI. Ubicunque terrarum, Americani et Indi Occidentales, quo agros melius colerent, cultuique et utilitati consulerent, paludes desiccaverint, stagna sustulerint, aliosque auræ impuræ genitores deleverint, ibi evanuit hæc febris; haud secus atque febris intermit-

tens multas Magnæ Britanniæ partes, olim palustres, nunc cerere florentes et excultas penitus reliquerit.

Satis igitur constat, uti paucis absolvam, febrem flavam, quæ Americanos et Indos Occidentales, præcipueque Europæos, huc jam advectos, necdum cœli torridi suetos, plectere solet, feбри Intermittenti et Remittenti quam simillimam esse; auram insalubrem solo palustri, stagnis, et aliis ejusmodi, æstus insignis ope, evolutam inque sublimate nocte que gelida iterum densatam et saturiorem, noxæ esse præcipuæ excitanti. Verisimile est simul Jovem ardentem ipsum per se, cerebro, corde et arteriis incitandis aliquid huc operæ conferre. Denique scire licet, quasdam causas efficere, ut auræ malignæ hujus febris excitantes facilius eam accendant, corpori admotæ: hasce vero istiusmodi esse, ut contagi potius obviam irent, quam auxiliarentur; quales sunt ebrietas,

satietas, quicquid cordi arteriisque incitamento sit, motus animi, et alia, quæ eodem pertinent.

Solum restat, ut perpauca disseram de signis duobus febris flavæ maxime notatu dignis; quæ medicorum ingenia admodum torserunt, et luserunt. Hæc autem sunt CUTIS FLAVA, et VOMITUS NIGER; et jure præcipua indicia habentur. Ea, quæ de iis sum conscripturus, e libro spectatissimi Viri Bancroftii, fonte optimo, deduxi; cui penitus me assentiri fateor.

*Cutis Flava.* Siquidem parum convenit vel inter medicos summæ fidei de causa, unde cutis flavet, operæ pretium duxi, de hoc signo quædam proferre. Cutis non, ineunte febre flava, aurescit; sed die secundo aut tertio; aliquando non nisi paulo ante fatum, vel jam absumpto febriente. Hinc judicare licet hanc notam nequaquam esse indicem hujus febris præcipuum, nec eandem rite FLAVAM vocari.

Cutem flavam non semper sanguini bile infecto, nec ei causæ unicæ deberi, multa testantur. Quibusdam sane oculi prius, quam cæteræ partes, lutescunt; plerisque vero febricitantium, genæ, tempora, et cervices, aut pectus aut dorsum initio flavescunt; nec æqualiter ubique, sed maculæ flavæ hic illic sparguntur, demum rutilata universa summa cute. Quinetiam, multis non aurea prodit cutis, ut morbo regio vexante, sed lurida, fusca, purpurea, aut colorem sibi præfert inter flavum et fuscum medium, qualem cadaver ad putredinem præcepit, aut *ecchymosis* jam abitura. Aliis igitur placet bilem resorptam, aliis sanguinem vitiosum et in membranam cavernosam profusum cutem colorare: quibus accedunt inter hos medii; qui nempe causam utramque amplectuntur. His eo assentior, ut judicem sæpius utramque, interdum alterutram causam notam propositam gignere.

Bilem persæpe cum sanguine circumfluere



hac febre tortis edocent oculi aurescentes, et  
urina bile infecta; quippe quæ candidum im-  
misum rutilat: quæ notæ aliunde provenire  
nequeunt. Non sane ignoro deesse albas de-  
jectiones, argillæ consimiles: qualesque mor-  
bum arquatam denunciare solent. Alvus fe-  
brientibus, quos prosequor, pigerrima torpet,  
nigraque et male olens descendit. Fellis est  
autem, si non intestino deficiat, alvum solu-  
tam et dejectiones luteas moliri. Conjicere  
igitur licet, alvum, quoniam tarda est, felle  
carere. Quod ad dejectiones nigras, satis in  
aprico est bilem eas non denigrare: de hujus  
coloris causa paulo infra disserendum.

Præter hæc, sanguinem vitiosum et in mem-  
branam cavernosam effusum huc sæpe operam  
conferre quam plurima arguunt: plura nimi-  
rum signa eodem referenda frequenter antea  
accedunt, quam cutis flavet; qualia sunt, sum-  
mum corpus maculis cœruleis efflorescens,  
vomitus niger, et alia istiusmodi. Quinetiam,

id quod supra notavi, non semper oculi primæ omnium partium inficiuntur; sed artus, pectus, &c. maculantur; et nonnunquam cutis non nisi, absumpto febriente aurescit; vel si prius tincta fuerit, tum demum colorem saturiorem sibi induit. Scire denique licet, multas esse cutis flavæ causas, præter fel resorptum. Ut enim de sanguine corrupto sileatur, *chlorosis*, et *ecchymosis* exempla præbent aurei coloris aliunde orti: venenum quoque serpentis morsu illatum cutem rutilat.

Patet itaque sæpius ex utraque causa, aliquando alterutra, cutem auream esse.

*De Vomitu Nigro.* Nonnulli sordem atram, inveterascente hac febre, vomitu ejectam fel esse acrius vitiosum, contendunt; alii autem, cruorem malum alienis mixtum esse, opinantur; neque ea opinio, ni fallor, eos lusit.

Hæc nigra natura bili maxime aliena est. Imprimis enim non amara est, saporis pene

expers; dein, aquæ adjecta non viridescit. Cadavere inciso, liquor, qui vesicæ fellis subest, omnes bilis dotes sibi præferre reperitur; ista autem sordes, qua ventriculus inquinari conspicitur, huic dissimillima est. Porro, eadem multa et crassa persæpe membranæ ventriculi intimæ hæret, *Pyloro* eo coarctato, ut plane vix pateat aditus felli ex intestino *Duodeno* ad ventriculum. Denique, si alicubi membrana hujus visceris intima arte dilaceratur, vasa rupta humorem nigrum profundere observantur: qui nulla ex parte a sorde evomita discrepat. Controversia igitur de hac re in posterum moveri non poterit.

Hæc sunt præcipua, quæ in animo habuerim de febre flava proponenda; quam plurima ad eam attinentia, et gravissimi momenti, desiderari fateor; nec vero consilium erat omnes partes tanti et tam late patentis argumenti aggredi.